



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

48. Quid est contemplatio, & de diuersis eius speciebus & materia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

tionis peruenire propter laborem cantui annexum, nisi tales forsan essent in secreto prius assuefacti per contemplationem. Et propter vitandam prolixitatem prætermisiss multis aliis modis, quos in exercitiis & materiis contemplationis multæ deuotæ personæ habuerunt, dicemus adhuc aliqua de ea.

*QVID EST CONTEMPLATIO, ET
de diuersis eius speciebus, & de materia qua debet bonus monachus contemplari.*

CAPVT XLVIII.

Secundum Richardum, cōtemplatio est quidam liber animi intuitus in diuina spectacula cum admiratione suspensus, vel secundum beatum Augustinum contemplatio, est quedam mentis illustratio ad inuisibilia Dei, animum salubriter alliciens. Secundum autem Hugonem contemplatio est quedam intelligentiæ perspicacitas: quam habens omnia manifesta aperta uisione cognoscit, secundum illud: Spiritus omnia scrutatur, hoc est omnia scrutari facit: etiam profunda Dei. Ante autem quàm species contemplationis distinguamus, est notandum cum præfato Richardo quòd contemplatiuus potest in contemplatione per tres uias proficere. Prima est propria industria, & hoc secundum illud quod sibi videtur multum ei ad hoc adminiculum conferre posse. Et hi debent circa hoc diligenter studium adhibere, ut diuinæ gratiæ auxilio mereantur altius ascendere. Secunda

da via est arte & doctrina alterius, sicut faciunt qui supra positas, & alias sanctorum supra hac materia datas doctrinas obseruant, & imitantur. Tertia est, speciali gratia Dei hominem in altum ad sua arcana eleuare volentis. His igitur præmissis est aduertendum, quòd contemplatio distinguitur in tres partes seu species. Prima dicitur mentis dilatio: & est quando contemplans humana industria extenditur & dilatatur supra id quod cogitat. Secunda dicitur mentis subleuatio: & est quando intellectus contemplantis diuino lumine specialiter illustratus percipit ea, ad quæ non sufficit humana industria. Et quamuis illud quod intelligit sit supra rationem humanam, sic tamen est intra se quòd non alienatur neque transit extra se, sed videt se esse in se: licet non sicut ante solebat. Tertia appellatur mentis alienatio: & hoc est cum videt ea ad quæ ascendere nequit humana industria, in qua visione adeo efficitur contemplans extra seipsum & extra solitum intellectus sui iudicium, vt nesciat vbi est, neque qualiter est, scilicet an in corpore, vel extra corpus. & hoc alio nomine dicitur raptus: de quo superius in via vnitua locuti sumus. Et nota hic quòd prima istarum trium specierum quæ dicta est mentis dilatio, iuuatur arte, exercitatione assidua & diligentia nimia, secunda scilicet mentis subleuatio, iuuatur cœlesti lumine, quod interdum supra humanam industriam recipit: aliquando supra propriam conscientiam, nonnunquam supra naturam. Et per hunc modum eleuati sunt in altum prophetae, qui viderunt & dixerunt præterita & futu-

futura, & humanorum cordium occulta sine raptu, & absque alienatione à sensibus. Tertia scilicet mentis alienatio siue raptus fit, vel propter deuotionis excessum ex feruentissimo Dei amore prouenientem; vel propter nimium stuporem super aliqua re, qua videtur homini valde admirabilis, vel propter magnitudinem delectationis & gaudij: quod concipimus de aliquo beneficio intra nosmetipsos ex Dei speciali gratia recepto. Et vltius secundum prædictum Doctorem aduertendum, quod contemplatiuus sentiens se in sua contemplatione frigidum, debet se spiritali arte calefacere, vt queat contemplando citius ad Deum ascendere, accipiens aliquam materiam deuotionis seu feruoris excitatiuam, secundum quod superius diximus in meditationibus illarum trium viarum, scilicet purgatiuæ, illuminatiuæ, & vnitiuæ. Sed quia vt supra diximus secundum illum seraphicum Doctorem eximium Bonauenturam: ostium per quod est ingressus ad contemplationem, est vita & passio Domini nostri Iesu Christi: & qui aliunde voluerit introire, ipse se fallit: dicemus hîc in quodam Compendio de vita Domini vsque ad cœnam.

QUOMODO CONTEMPLATIVVS DEbet ascendere in sua contemplatione tribus modis secundum vitam, & passionem Domini.

CAPVT XLIX.

Scire debes quod Christus Iesus Deus & homo Dei & hominum mediator, ipse est via per